

drivii more, sed vulgari, quo templa construi solebant. Cujus formam ex anaglypho mutuatus adfert Rosinus de Antiquitatibus Romanis. Ibidem templum aliud erat a Trajano dicatum Nervæ, cujus pars proximo sæculo superabat. Forum autem Nervæ nuncupabatur itidem Transitorium, quia cum in frequentissima Urbis parte esset, transeuntium concursus istic erat.

C A P U T X V.

DIES OCTAVA. Therma Diocletiani. Ecclesia B. Mariæ de Angelis. Philosophorum capita marmorea eruta. Horti Perretini. Aggeres Tarquinii. Castrum aquæ. Horti Strozziiani. Meleager effossus & alia educta. Ecclesiæ S. Agnetis & S. Constantiæ; Cæmeterium. Ecclesia S. Nicomedis. Subterraneum singulare. Ædes Barberinæ & Bibliotheca ibidem. DIES NONA. Cænobium S. Basilii. Codicum ejus Græcorum perampla nota. Villa Ludovisi. Anaglyphum singulare. De templo & statua Veneris Sallustianæ.

A THERMIS Diocletiani octavam inimus diem: in quarum ingressu per vicum Pii, hinc fons ille Sixtinus, Aqua Felix dictus, colossali Mosis statua, leonibusque, quorum duo, ex basalte Ægyptio, a Rotunda sive Pantheone advecti sunt, concinnatus, aliis item ornamentis splendet; inde nobilia ecclesiarum S. Mariæ in Victoria, & S. Susannæ frontispicia; ab alio latere Fulienfium S. Bernardi ecclesia, ad prospectus suavitatem conferunt. Immane Thermarum spatium fuit, ut ex ruderibus fides. In medio, camera prægrandes in ecclesiæ formam, Michaele Angelo Bonarota artifice, actæ sunt, & in Crucis Græcæ morem concinnatæ. Columnarum hinc olim magna vis fuit, ad ducentas pene olim exportatas, aliisque admotas ædificiis narrabat Chartusianæ prior: eæ solum relictæ quas amoliri gravitatis causa non licuit, suntque octo numero, aliæ aliis densiores sublimioresque. Istæ verò, quæ altiorem sunt, ab